B. N. C.
FIRENZE
1035
15

1035 15

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
15

IN FVNERE

BERNARDINI PATERNI

Medicinam Theoricam in Academia Patauina

Primo Loco Proſitentis

ORATIO

A F. RAPHAELE RIPA VENETO ORD. PRAEDICATORVM
publice habita in Eccleſia S. Auguſtini de Padua tertio Kal. Februarij
M. D. XCII.

AD HIERONYMVM BERNERIVM PRINCIPEM
Illuſtrisſimum, & S.R.E. Cardinalem Ampliſſ.



Patauii, Apud Paulum Meietum. 1592

1035.15

HIERONYMO BERNERIO PRINCIPI

ILLVSTRISSIMO ET S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.

FRATER RAPHAEL RIPA Venetus D. Dominici Familiæ Filius ſuperos propitios.

CVM o mea oratiuncula illorum hortationibꝰ, precibꝰ, ac iuſſis quibus acquieſcere glorioſum mihi ſemper iudicabo in lucem ſis proditura, fœlix prodeas, & vade Romam ad Principem illum illuſtriſſimum, quem animi affabilitas, vitæ probitas, ſcientiarum omnium ſplendor, in Chriſti Eccleſiam merita pręcipua, de-

cora tandem omnia, ac ornamenta ſingularia, quę pulcherrima Principis conſtitutio poſtulare videtur omnibus amabilem & admirabilem reddunt. Vade ad Cardinalem illum ampliſſimum, qui lucidiſſimo quo fulget æternæ lucis ſplendore nedum Auſculanam Vrbem, nedum Prędicatoriam Cohortem, ſed & ipſum Purpuratorum Patrum Ordinem clariſſimum mirum in modum illuſtrat ac exornat. Vade inquam ad HIERONYMVM BERNERIVM Principem & Cardinalem omni nomine auguſtiſſimum quē uerbis hiſce meis tibi modo deſignabam, & ubi ad tātæ maieſtatis ſolium adueneris, genibus illius prouoluta, (faxit Deus, vt & me & te ad pedes ſuos proſtratos aliquando intuear) illum ſic alloquere: Humaniſſime Heros, Raphaël ille Ripa amplitudini tuę dediciſſimus, qui poſt Dei cultum & ſe & omnes actiones ſuas in te vno uult collocatas, cui nihil poteſt accidere ſuauius, quam ſummi illius quo erga te fertur amoris ac obſeruantiæ argumentum aliquod in dies exhibere, quem gratia tua pro ſingulari animi tui humanitate haud indignum iudicaſti, & quem abs te amari nobiliter declaraſti, cui demum Bernardino Paterno uiro dum uiueret clariſſimo id poſt mortem tribuere placuit fœlicitatis ut eius vita ac geſta Cardinali doctiſſimo atq; ſublimiſſimo dicarētur, me ad te venire iuſſit, amplitudinem tuam ſub-

nixe

nixe orans , vt me auctoritate & humanitate tua ab inuidorum obtrectationibus protegere digneris , & mihi quę color ſum obſcuriſſimus tu lumē lucidiſſimum aliquid lucis impertiri ne graueris . Quod ſi fato ſingulari, o mea oratio a Cardinalibus Illuſtriſſimis ob deligendum in demortui locum Pontificem congregatis HIERONYMVS BERNERIVS ob Prędicatorię familię gloriam ubiq; prædicandam , ob Sedis Pōtificiæ maieſtatem præcipuam, ob Sacroſāctæ Eccleſię utilitatē eximiā, Spiritu Sācto authore, (quod auguratur animus, quodq; precibus aſſiduis a Deo Opt. Max. rogat) Chriſti Gregis Paſtor declararetur ; tunc non genibus, ſed pedibus ſanctiſſimis prouoluta, Raphaelis tui nomine tātam ſibi & orbi uniuerſo gratulans dignitatem te fidei ſuæ fœliciſſimam credito. Fœlix uiuas mea oratio, teq; ; auctoremq; tuum ſub tantæ AQVILÆ alis fœliciſſimis perpetuo tueare. Vale Religionis noſtræ & Romanæ Eccleſiæ lumen pręclarum . Patauii kal: Februarii M. D. XCII.

Fratris

FRATRIS RAPHAELIS RIPAE VENETI

Oratio.

RES præclaras, loco digniſsimo, oratorem celeberrimum in qualiumcumq; virorũ cœtũ recenſere, difficile; res memoratu digniſsimas, loco excelſo, hominem in arte dicendi eximium coram viris pari laude illuſtribus commemorare, difficillimum; res demum præſtantiſsimas, & nulla vnquam obliuione delendas e ſolio auguſtiſsimo, adoleſcentẽ eloquentia tenuem in conſpectu virorum omni nomine ampliſsimorũ afferre, longe difficilius eſſe, inficiabitur nemo, fatebitur oĩs. Hinc onus arduum admodũ ac difficile, idemq; longæui illius ac fortiſsimi Atlantis uires ſuperans mihi demandatum fuiſſe nemo eſt qui non uideat; ipſe nãq; nulla dicendi facultate tanto digna conſeſſu excultus, huc corã uobis viri ornatiſsimi BERNARDINI PATERNI Medici perillustris, ac poſt hominum memoriam celebratiſsimi geſta dicturus acceſsi. Quare, quæ ſingula hominibus aliquid muneris obeuntibus timorem inijcere conſueuere, ea mihi oĩa in præſentia certatim occurrere intueor, ſiue etenim eorum quæ ſunt orõne tractanda conditio alicuius perturbationis eſſe põt, Viri omni ſciarũ genere clariſsimi laudes ſi nõ exornatione augendæ, at ſaltẽ ſunt enumerõne receſendæ, ſiue loci maieſtas ſpectetur, Patauii dicimus; ampliſsimo & ad dicendum auguſtiſsimo orbis theatro, ſiue qui oratoris partes ſuſcepit, Raphael is eſt quem nulla prorſus ornare videtur eloquentiæ copia quæ his non ſine animi noſtri moleſtia enumeratis aliqua ſaltem ex parte reſpõdeat, ſiue demum in auditores oculi conuertantur, lectiſsimam doctiſsimorum virorum coronam aſtantem intuemur. Auditores ergo multis nominibus illuſtres, locum clariſsimum, quippe qui literarum domicilium, ingeniorum ſplendor, ac diſciplinarum omnium locupletiſsimum ærrariũ iure dici põt, quæ noſter geſſit PATERNVS undiq; ſublimia; at (proh dolor) ab ijs quæ diximus

ximus quantum abeſt qui oraturus eſt? Et profecto quamuis negotia talia facundioribus viris ſemper demandari uiderimus, hodierna tamen die inuſitato conſilio id mihi eloquentia minimo ab illis quibus nihil excuſationis afferre nec debebam nec poteram impoſitum eſſe conſpicimus. His illud quoq; accedit incommodi, quod hæ ſepulchrales faces, hic publicus lugentis Patauini Gymnaſii squalor, hæc Artis Apollineæ quam ſuo orbata parente, ſuo priuata ſplendore præſefert calamitas, hi diſcipulorum ex toto orbe nobiliſsimorum & præcipue in Medicinæ ſtudia incumbentium planctus ac gemitus uberrimi aciem obturbant oculorum, oratorem angunt, eumq; dicentem potius audire, quam audiri, in portuq; conquieſcere quam uela uentis pandere promptiorem ac paratiorem efficiunt. At uero ego ipſe a meipſo redargui uideor, & animum ad mortui deſiderium & funus recurrentem ad orationem reuoco, vt non tam lachrymis quam narrationi locus concedatur. Et quamuis Medici omnium clariſsimi præconia uerbis exæquari non ualeant, ignoſcēdum tamen potius quam ſuccenſendum quiſq; putabit, optime ſciens, ea talia eſſe, vt nulla vel illuſtri ac perornata dicendi copia ſatis pro dignitate exprimi queant. Et quidem quæ in orationum ſuarum veſtibulis ipſi eloquentiæ Patres, ac de arte dicendi optime meriti afferre ſoliti ſunt, ea nos in præſentia ſilentio inuoluenda duximus, generis nimirum claritatem, patriæ ſplendorem, maiorum ornamenta, aptiſsimam membrorum compagem, præſtantiſsimam uultus ſpeciem, corporis fortitudinem, hæc enim omnia fortunæ & corporis eſſe diuitias nouimus; at turpe dicere ſolitum Romanorum quendam Imperatorem ſcriptis traditum eſt, cum animum habeat homo, laudem ex corporis ſiue fortunæ fœlicitatibus captare. Accedit, non eo nomine præclarum ac inſignem aliquem fore habendum propterea quod ex illuſtri ciuitate originem duxerit, ſed potius & veriſsime eam vrbem inter fœlices connumerandam doctiſsimus quiſque iudicabit, quæ viros clariſsimos ferre conſueuerit, quemadmodum non ideo pulchrum cēſetur pomum quod a pulchra prodierit planta, ſed pulchra potius planta quæ pulchra procreare conſueuit poma. Hinc Hiſtoricorum monumenta prodidere, Veronam fœlicitate donatam fuiſſe quoniam Catullum, Mantuam quoniam Virgilium, Sulmonam quoniam Ouidium, Athenas quoniam præcipua Phyloſophiæ lumina & numina Platonem & Ariſtotelem, Florentiam

rentiam

rentiam quoniam Franciſcum Petrarcam poetarum Etruſca lingua canentium decus eximium,& Patauium, (multis aliis licet nominibus)quoniam Titum Liuium hiſtoriarum ærrariũ, & antiquitatis oraculum tulere.Hinc vrbes ſeptem haud ignobiles vehementer pugnaſſe, & acerrimo bello decertaſſe, ut uniuſcuiuſque illarum Homerus ille Græcorum Poetarum coripheus & parens ciuis eſſe diceretur memoriæ proditum eſſe nõ ignoramus.Non ergo viri illuſtris gloria a ciuitate, ſed ciuitatis honos a viris illuſtribus manat. Quare fœlix terq; quaterq; fœlix SALODII oppidum, cui BERNARD. PATERNVM ſcientiarum omnium,tum vero præcipue Medicę diſciplinæ parentem auguſtisſimum ferre datum eſt. Qui ex honeſta familia & patre medico illuſtri natus longe maiora illis attulit decora quam ab ipſis acceperit, neque enim ſiue patriæ ſiue maiorum nixus eſt meritis,ſed ſuarum ſplendore ſcientiarum & patriam & parentes obſcurisſimos licet,clarisſimos reddere potuiſſet. Quippe qui vbi primum per ætatem licuit, ad literarum ſtudia ſe contulit,grammaticamq;, atque eam quæ a nobis ars dicendi,a Græcis vero rethorica dicitur facultatem fœlicisſime adeptus,ad altiora Dialecticæ, Philoſophiæ,& Medicinæ,(ſcientiæ inquam illius vti nobilisſimæ ita ad hominum vitam maxime neceſſariæ)culmina animũ appulit, in quibus uti ab ingenio doctrina,ita ab uſu quoq; præcurrebatur ætas:PATERNI nãq; nomen & fama adeo vndiq; circumſonare incipiebat, vt illum diuino potius quam humano excultum ingenio facile declararetur,totq; tamq; illuſtria eruditionis ſuæ in Philoſophia ac Medica facultate exhibuit argumenta vt facillimus ſibi ad utriuſq; artis doctoratus inſignia ſuſcipienda patuerit aditus.Quare Venetiis,hoc eſt in vrbe illa quæ magnæ Romæ gloriam & ſplendorem æmulari videtur,in florẽtisſimo Philoſophorum ac Medicorum collegio quod eo tempore celebre ibi habebatur, ſumma oĩum lætitia,ſummaq; eorũ oĩum admiratione,qui illũ ſæpe ſæpius de intimis quibuſq; Medicinæ ac Philoſophiæ diſſerentem audiuerant ad doctoratus apicem anno ſalutis 1536. ætatis vero ſuæ ſeptimo ſupra vigeſimum prouectus eſt. Quo tempore,& Venetijs,& Patauij,& Veronæ in publicis diſputationum congresſibus innumerabiles fere pandens concluſiones, eo ſe ingenij acumine ornatũ,ea ſcĩarum oĩum copia præditum, ea Artis Medicæ pollere eruditione declarauit,vt PATERNVM tamq; e cœlo lapſum,& veluti priſcorũ illorum medicorum famam

mam obſcurantem & celebrarent oẽs,& prædicarent;vt quemad modum doctrina,ita quoq; gloria grãdior fieret atq; ſublimior. Hæc egregia recenſentes, & verbis illuſtrare dum tentamus ea potius a nobis obſcurari dicet omnis,ſicut enim bellorum duces intrepidi adhuc adoleſcentuli facinora præſeferunt pulcherrima quæ & ipſorum ætatem,& omnium expectationem facile ſuperant, ſi tamen cum illis quæ ab eiſdem natu iam grandioribus exercentur prælijs conferantur, multo anguſtiora apparere conſpicimus, ita quæ vir iſte clarisſimus iuuenis adhuc nominis,& ingenij ſui præſtitit inditia,illuſtria licet,omniq; laude dignisſima ſint,cum ijs tamen ab eodem iam viro exhibitis cõparata quaſi a lucidiori lumine debilitari,ac propemodum obſcurari videbuntur. Hac igitur tãta celebritate famæ,ad Medicinã quam Theoricam vocãt in tribus totius Italiæ famoſisſimis Academijs publice auſpicandam vocatus eſt ; Quo quidem interprætante, oẽs Gymnaſiorum loci occupabantur, Academiæ ipſæ inuſitata hominum frequentia erant ſtipatæ,innumerabili demũ ſemper auditorum cingebatur corona,qui ſuis poſtea vocib' & clamoribus immortalẽ gloriæ coronam capiti ſuo imponebant. Itaq; ij qui Medicinæ ſtudijs operã nauabant,non amplius quid Hippocrates,quidue Galenus ſentirent obſeruabãt,ſed quæ a PATERNO docebantur,sũma admirõne ſuſcipiebant, adeo vt alij Pergamenũ reuixiſſe ſenem,alij Hippocratis hunc eſſe filium,alij Medicinam huic plusq̃ alteri mortalium debere, alij hoc vno verũ reddi illud Ciceronis quo dixit Arma cadere togæ,alij hunc inter diuorũ nũmerum aggregandũ, alij alia quæ diuerſis diuerſa non diuerſa ſuggerebat ratio fauſte ac lætisſime acclamarent. Dicant hoc vrbis Papiæ,Piſarum,& Montis Regalis ciues & incolæ, quibus ob maximã ipſorum fœlicitatem BERNAR.PATERN. legentẽ audire licuit.Quo ẽt tempore Auditores, Papiæ nimirũ dũ legebat,ob præclara eius merita,ob admirabilẽ ſciarum ſuarũ famã,ob egregia virtutum ſuarũ decora ac ornamenta ſingularia a FRANCISCO VENERIO vrbis Veronæ Prætore oĩbus magnificæ illius Cõitatis primatibus, & petentibus,& rogantibus in ciuium Veronenſiũ Collegium cooptatus eſt,vt Verona quæ viros alios claros edidit,hunc quoq; clarisſimũ ciuem ſuum eſſe videret. Eiq;, vniuerſæq; familiæ ſuæ ꝑpetuis tẽporibus datum eſt,vt gratijs oĩbus ac priuilegijs illis poriretur, quibus antiquiſſimi ſolum,ac de republica optime meriti ciues gaudere conſue

uerunt. Taceo, quam magnifice de ipſo vniuerſi prædicarent, quantumq; gloriæ,& ſplendoris in Medicinæ ſtudia incumbẽtes ſibi acquirere exiſtimarent,dum domus ſuæ limina frequentarent,& illum ſtudiorum ſuorum moderatorem ac ducem ſibi adhibere poſſent. Taceo, quomodo a MARINO GRIMANO Cardinale Illuſtriſſimo Veneti Imperij,& Purpuratorum Patrũ Collegij ampliſſimi ſplendore eximio honeſtiſſimis conditionibus accerſitus,apud illum aliquot annos tanta nominis ſui gloria,tanta Vrbis illius cui nomen eſt caput mundi lætitia commoratus fuerit,quanta nec mea, nec cuiuſquam oratione exprimi poteſt. Taceo,quomodo a STEPHANO BATHOREO Polonorum Rege auguſtiſſimo in Poloniam præmijs ampliſſimis inuitatus fuerit,vt Polonia PATERNVM audiens quæ in ſtudijs militaribus nemini vmquam palmam concedit, vel in ijs literarum,Italiæ ſe longe inferiorem fateretur, dum virum hunc clariſſimum ex ipſa cerneret procreatum. Hæc inquam prætereo, quoniam anguſta & exilia ſunt viri clariſſimi. Illa tanta virtus, illud tam celebre nomen,ampliorem aliquem campum, auguſtius aliquod in quo ſpectaretur theatrum poſtulare videbatur. Patauium,Patauium inquam uetuſtiſſima illa ſcientiarum omnium officina illum ad ſe uocauit,& cuius eruditionis præclara aliàs delibarat documenta, & ſub cuius ſplendore Gymnaſium hoc beatum aliquando futurum erat,tanti demum ingenij altitudinem plenius guſtare,ac penitus imbibere optauit.Dixi Patauium PATERNI noſtri egregiam alias delibaſſe eruditionẽ, dum enim IACOBVS BARGIVS D. Franciſci familiæ ſydus præclarum Philoſophiam diuinam,in hoc Gymnaſio profiteretur, cumq; ob iniunctum ſibi a Patribus ſuis munus Romam iturus,aliquem in ſui locum donec rediret eſſet ſubrogaturus, ex innumerabilibus quibus Academia Patauina nobiliſſimis clareſcebat ingeniis,PATERNVM delegit,qui partes ſuas in legendo ſuſciperet,qui quidem peradoleſcens,annos nimirum decem & nouem natus eos ingenij ſui radios & flores emiſit, quos poſtea orbis uniuerſus in lucem clariſſimam, in fructus ſuauiſſimos permutatos uidit.Patauium igitur a ſereniſſima,& ſemper fœliciſſima Venetorum Republica cuius maieſtatis imaginem IOANNES BAPTISTA VICTVRIVS, & VINCENTIVS GRADONICVS huius Ciuitatis Præſides omni nomine illuſtriſſimi,uiri ad Reipub.commodum,& ornamentum ipſis Gra

tiarũ

tiarum manibus facti optime præſeferunt, anno a Chriſti Natiuitate 1563. Medicinam quam Theoricam dicunt e ſupræma ſede interprætaturus uocatus eſt, ut Academia Patauina quæ tunc in Theologia AMBROSIVM BARBAVARRVM, in Metaphyſica THOMAM PEREGRINVM D. Dominici familiæ imo uero totius orbis lumina fulgentisſima, in Philoſophia M. ANTONIVM GENVAM philoſophum numeris omnibus abſolutum profeſſores habebat, in Medica quoq; facultate aliquem uiris hiſce clarisſimis parem non deſideraret. Patauiũ ergo uenit, ubi totos annos octo & uiginti incredibili omniũ lætitia atq; admiratione quam modo Theoricam commemorabamus Medicinam auſpicatus eſt. Hic ego ſi quod Poetis idem mihi quoq; facere liceret, flumen illud quod Tagum appellant adeſſe optarem, quo aurea ex illo uerba haurirem (quicquid nimirum perillud tranſiret, inaurari cecinere Poetæ) quibus aurea PATERNI in hoc almo ſtudio geſta ſi non enarrare (id enim fieri non poſſe facile uideo) at ſaltem adumbrare liceret. Sed quanta ſui gloria, quanta audientium utilitate munus illud obiuerit, quid opus eſt Patauii præſertim agentem pluribus exponere? Non ætati, non labori parcens demandato ſibi muneri immortali nominis ſui gloria, maxima diſcipulorum uoluptate ac commodo nobiliſsime uacabat. Summo hinc ab omnibus audiebatur ſtudio atq; ſilentio, nihil magis timentibus quam ne cito legendi finem faceret, quo tamen finem faciente, finem non faciebant auditores eum ubiq; celebrare, atq; in cœlũ uſq; ſuis laudibus efferre. Quid plura? Viros permultos ex omnibus terræ partibus ut unum legentem audirent PATERNVM quemadmodum priſcis olim temporibus ut Titum uiderent Liuium Patauium aduentaſſe, nullus fortasſis ex ijs qui me dicentem ſuſtinent ignorat; quorum numquam de ipſo opinio uel expectatio fallebatur, ſed & expectatio, & opinio longe lateq; ſuperatæ nomine & natura amiſſa in admirationem uertebantur. Mirabantur profecto omnes eiuſmodi uirum audientes qui profunditate ac ſubtilitate admirabili profundisſima omnia ac ſubtilisſima de Arte medica reſeraret archana, qui difficillima quæq; facillima redderet, quiq; ſæpe ſæpius noua, inuſitata, atq; ab uno PATERNO excogitata in medium afferret. Solium ipſum ita uiuam in ſtuporem & admirationem rapiebatur & abſorbebatur, numquam recordans in tanta fuiſ-

ſe maieſtate. O Virum omni tempore, omni lingua, omni loco celebrandum, O Medicum omnium quos terra umquam tulerit aut latura ſit clarisſimum, quos ſol umquam uiderit aut uiſurus ſit glorioſisſimum. O ætatem noſtram fælicisſimam cui uel ipſa Saturni quam auream dixere cedat, neq; enim certe umquam tanto uiro donata fuit. Extollat profecto celeberrimum ſuum quantum uoluerit Pergamus Galenum, clarisſimum ſuum Cohos Hippocratem, doctisſimum ſuum Grecia Phillirid ē celebratisſimum ſuum Corduba Auicennam, Gymnaſium quippe Patauinum PATERNVM auguſtisſimum his nemini ſecundũ in omne æuũ merito ornabit, prædicabit, celebrabit. Vt ad alia permulta huius Academiæ decora atq; ornamēta, hoc non ultima ſede locandũ accedere queat quod uirum hunc præſtantisſimũ tot annorum curriculo in Medicina interpretem nacta fuerit, qui gloriam multã priſcæ gloriæ, famam multam ueteri famæ addidiſſe uidetur, quem nedum ij qui Medicã facultatem mediocriter callere uidentur, ſed & ipſi ſummi Artis huius magiſtri ac patroni præcipui nemini niſi huic uni ſecundi Medicorum omnium principem & facillime & uerisſime prædicabant, & ad quem ueluti ad Medicinæ fontem, ad Galeni animam ubi opportunitas inſtabat ſemper cõfugientes, illius uerba pro ſententiis, illius monita pro oraculis, illius conſilia pro præceptis excipiebant. Quod ſi Hermogenis Medici nomen celebre habitum eſt, quod Adriano Romanorum Imperatori ſe interficere uolenti locum ſub mammilla deſignaſſe fertur, quo lethali uulnere accepto facilius expirare liceret; quibus laudibus BERNARD. PATERNVS erit celebrandus, qui permultos neci proximos, ac propemodum extinctos non ut expirarent adiuuit ſed in hanc lucem arte ſua admirabili ac prope diuina reuocarit? Singularem hanc eruditionem ſingularis ſemper affabilitas comitata eſt, & quemadmodum a nobilisſimis diſcipulis Patris pientisſimi loco habebatur, ita non ſecus ac filii a dulcisſimo parente amabantur, qui uere PATERNVS quaſi patrio amore illos proſequens, ad ſtudia excitabat, quib. in vltima uſque ætate conſtitutus & publicis & priuatis lectionibus maximo nunquam deſtitit eſſe adiumento. His pulcherrimis animi ornamentis alia quoque acceſſere, fuit enim in omnes officioſisſimus, Reipublicæ Venetæ gloriæ propagandæ ſtudioſisſimus, ac proinde a permultis grauisſimis Senatoribus ſummo

mo in amore, ſummoq; in honorē habitus, diuinorum manda torum obſeruantisſimus, ſacrarum ædium, huius vero potiſſimum amator præcipuus, quod ſatis teſtatum uoluit, dum uiuens illam præ cæteris frequentans ſibi chariſſimam, moriens quoque ſibi acceptiſſimam eſſe declarauit, quippe qui in ea ad nouiſſimum uſque diem iacere decreuerit, ut Eccleſia hæc multis nominibus auguſtiſſima, huius quoque viri ſepulchro cohoneſtata auguſtior redderetur, ut D. AVGVSTINI eccleſiam auri uenam nobilisſimam in poſterum appellare liceat, in cuius uiſceribus locupletisſimum hoc ſcientiarum omnium ærrarium perpetuo ſit tempore permanſurum. Humilitatem quoq; uel maxime adamauit, quod morti proximus apertisſime patefecit, dum ſe humili loco condendum, humillimis & priuatis exequijs humandum ex teſtamēto reliquit; quod tamen non tulit ELYSABETH BONMARTINA matrona pudicisſima ac nobilisſima ſanguinis affinitate ſibi coniuncta, ſed illum funebribus his quas cernitis pompis tanti uiri meritis longe licet imparibus decorari mandauit. Animi demum conſtantiam in eo ſemper uiguiſſe, uel ex eo colligamus, quod in hac ſenili ætate, (tertium quippe ſupra octuageſimū agebat annum,) & in hac vltima ualetudine & ea quidē maxime diuturna poſitus, numquā mortem timens, numquā uerbum ullum parum ſe dignum emiſit, ſed de rebus ſacris, de literarum ſtudijs ſemper ad ultimam uſq; horam ſumma prudentia diſſerens, Eccleſiæ ſacramēta quibus ex hac luce receſſuri Deo conciliari ſolent omnia & popoſcit & ſuſcepit, quibus expletis, tuum dulcisſime Chriſte, tuum Beatisſima Virgo, ueſtrum multi Cœlites nomen & numen iterum atq; iterum inuocans ad uos ut pie ſperamus euolauit. Iam uero tanto extincto lumine, merito deflent omnes, mœrent omnes, ſquallent omnes, Patauina Academia ſuū ſe clamat amiſiſſe ſplendorem, Apollinea facultas ſuo conqueritur deſtituta ornamento, Medicorum demum collegium nobiliſſimum mœret, & ita lachrymis conficitur ut ferre non poſſit, dum Solem ſuum lucidiſſimum ante oculos extinctum intuetur. Elemēta ipſa ad huius funeris nimis certe funeſti exequias cohoneſtandas conueniſſe uidemus: In facibus enim iſtis obſcuritate ipſa obſcurioribus Ignem, in igneis illis quæ ab omnium pectore erumpunt ſuſpirijs Aerem, in lachrymarum ymbribus ab omnium oculis ſcaturientibus Aquam, in ſepultura demum

tuũ quæ corpus ſuum clauſura eſt Terram adeſſe nemo eſt qui non uideat. Nos profecto infœlices,ſi quæ quondam apud effe ratos Scytas regnare lex conſueuerat, eadem his quoq; tempo ribus uigeret,qua nimirum eos omnes qui arcto quodam amicitiæ uinculo cum uita functo adſtricti erant, ſepulturæ tradi iu bebatur,hodierno enim die, nos omnes humandos crederem, cum unuſquiſq; noſtrum BERNARD. PATERNVM uiuentem unice dilexerit,& eum nunc mortuum acerbisſime doleat. Ipſos quoq; Thraceos in huius uiri funere ſi adfuiſſent ritum mutaſſe mihi ſuadeo,eos enim naſcentibus hominibus flere, iiſ dem uero occidentibus geſtire literis conſignatum eſt:at in hac morte omnium amarisſima,in hac calamitate omnium miſerabilisſima, in hac ſcientiarum omnium iactura perpetuo deploranda,conturbati,commoti,conſternati, fleuiſſent, planxiſſent, lachrymarum flumina emiſiſſent. Poſteri noſtri fœlices nos di cent,quibus tantum uidere licuit uirum,& nos fœlices illos affirmabimus quibus eum mori,& tam lugubre funus intueri nõ contigit. In cuius occaſu ſydus illud quod Cometam dicunt ic circo uiſum non fuiſſe credo, (quod tamen in tanti uiri morte uidere dubio procul debebamus,)quoniam Aeris lachrymæ funebres has pompas præuidentes igneos quoſq; atque ardentes ne aſcenderent prohibuere uapores, quò illis uberius flere lice ret; quod ſatis teſtatum uoluere, dum multis ab hinc diebus uberrime dies totos ac noctes erumpentes,terram uniuerſam hu ius uiri clarisſimi iactura madefactam relinquunt; quas tamen hodierna luce regionem ſuam ſapientisſimo conſilio exiſſe nõ uidimus,ut Cœli benignitate,ac Solis ſplendore fauente,Præſides illuſtrisſimos, Rectores magnificos, nobiles omnes, ciues omnes,populum uniuerſum,ciuitatem denq; totam ac mœnia ipſa fieri ſi poſſet ad uiri ſapiẽtisſimi exequias ornandas alacrius approperare liceret. At nos quidẽ optimo ac doctiſſimo uiro or bati ſumus, ipſum uero è uinculis in libertatẽ e morte in uitá perductũ eſſe confidimus. In hac quippe morte cui uitæ nomẽ tributum eſt ueluti in rapidiſſimo mari procellis maximis undiq; agitamur quas tamen omnes in uita illa quam mortem uo cant deponimus. Quare nemo cenſeat male, ſed omnis fœliciſſime iudicet cum BERNARD. PATERNO actum fuiſ ſe, propterea quod dierum iam plenus, gloria iam cumulatisſi mus ad cœlum euolarit: Quod mortuus eſt, humanæ fragilitá

tis

tis eſt, mortalem quippe illum ſciebamus, hunc enim terminū cunctis quæ infra Lunam ſunt rebus indiſſolubili atq; ſancita quadam lege naturam fixiſſe nouimus. Cum etenim ex contrarijs terrena hæc conſtituta ſint, ea diſſolutioni & corruptioni ſubiacere, & aliquando interitura non dubitamus, perpetua namq; eademq; acerrima pugna contraria ipſa inter ſe decertant, quo fit, ut cum eorum aliquod aut potentius aut infirmius plus iuſto efficitur, aut ſe a reliquorum communione ſegregauit, uarijs oppreſſi morbis uitam deſerere coacti ſumus: Sic ſcriptum reliquit Philoſophorum dux ille ac princeps Ariſtoteles, omnia quæ ad hanc lucem generationis ope ueniunt uel ſerius, uel citius corrumpi oportere. Non eſt igitur nobis dolendum, ſi mortuus ille eſt qui erat moriturus, non inquam fundendæ ſunt lachrymæ ſi tantarum uirtutum parens ac domicilium naturæ debitum perſoluerit: Sed eo nomine gaudendum potius ac lætandum ſapientiſſimus quiſq; exiſtimabit, eo quod moriens, immortalitatem ſortitus fuerit, & mortem cum uita & uita fœlicisſima cui nullus umquam futurus eſt finis commutauerit: Complures legimus in hiſtoriis priſcos eosq; ſummos Philoſophos ad quos de natorum nece nuncii allati cū eſſent non modo lachrymas non fudiſſe, ſed nec doloris quidē ullam exhibuiſſe ſignificationem. Anaxagoram philoſophum, illum toto orbe celebratisſimum chariſſimi filij mortem audientem hilari placidoq; uultu ferunt dixiſſe, nil noui audio, me mini enim me illum genuiſſe mortalē Xenophontem quoq; uirum doctrina & grauitate illuſtrem Dijs ſacra dicantem, natum in prælio cecidiſſe accipientem, coronam tantum depoſuiſſe tradunt. Quem poſtea ſciſcitantem quomodo filius corruiſſet & illum fortiter dimicando oculos ſuos clauſiſſe audientem, coronam rurſus capiti imponentem legimus aſſeueraſſe id quod de filij uirtute cœperat ſolatium, eam quam de eiuſdem morte ſenſerat amaritudinem ſuperare. Quod ſi uiri iſti qui unà cum corporibus animas quoq; interire, nullamq; poſt hanc dari uitam credentes, uel num daretur in dubium reuocantes filiorū interitus (quos maximam afferre calamitatem unicuiq; exploratum eſt) tam æquo animo tulerunt, quid faciendum nobis eſt, qui poſt hunc alium uitæ reperiri ſtatum cum uiris ſanctisſimis indubie credimus? Conſolare igitur o Academia Patauina, licet enim a PATERNO derelicta fueris, illius tamen nomen

men fœlicisſimum, atq; iocundisſima recordatio ut aſtra in cœlo ſic apud omnes terræ partes ſemper fulgebunt; & quando huic Viro ſingulari trecenta ſexaginta ſtatuas ereas quales Athenienſem populum Demetrio Phalereo anno uno, uel ſaltem unam qualem Romanam Vrbem Antonio Muſæ Medico qui Auguſtum a morbo liberauerat poſuiſſe clamant hiſtoriæ erigere non liceat, uel tantæ eruditionis memoriam ſemper in pectore ſerua. Conſolare Apollinea facultas, tantum enim ſplendoris & gloriæ a PATERNO accepiſti, ut illud nulla umquam ſit deletura uetuſtas, & licet mortuus, in uiuorum tamen memoria uiuus ſemper ac in dies florens magis uiuet. Conſolare tandem auguſtiſſimum Medicorum collegium hac cogitatione, quod longo ſatis tempore illius dulcisſima præſentia fui datum eſt, illius doctrinam admirabilem longo ſatis annorum curriculo imbibere licuit; quo tamen ſublato alijs fulges uiris clarisſimis qui per BERNARDINI PATERNI veſtigia pleno paſſu incedentes te glorioſum & reddunt & reddent. Hac ſpe conſolati, corpus terræ relinquite, nomen apud uos retinete, ſpiritum uero ſuum Deo Opt. Max. precibus aſſiduis commendare non deſiſtite, ut quem in humanis poſitum ſcientiarum omnium & uirtutum corona coronatum uoluit, eundem in cœlis præmiorũ, immortaliq; gloriæ corona decorare dignetur.

D I X I.

Superiorum Permiſſu.

2
1025-15

99 956782